

IOANNES VVIERVS MEDICVS.



Ioannes apud Belgas natus est anno circiter 1515.  
Ils post prima literarum fundamenta percepta, se  
se hinc inde ad academias cōtulit, & magna diligen-  
tia philosophico studio incubuit Postea quoq; Me-  
dicinę operam dedit & in ea scientia Doctoris sibi  
nomen ob multiplicem eruditioñem comparauit.  
Inde in patriam reuersus Medicinam magna laude  
exercuit, & plurimis profuit. Id cum illustriss. prin-  
ceps Vilhelmus Cliviæ dux cognouisset, eum ad  
se uocauit, & suum Medicum constituit. Cum autē  
Iohannes in eo loco esset, atq; altis suspirijs cogita-  
ret, qua ratione passim apud Christianos ob nimia  
ueneficiorum suspicionem, melancholici homines  
(præterum uero uetulæ mulieres) incarerarentur, & flammis absumerentur,  
totam illam causam explicare, atq; quid equitas & natura ferat, proponere sta-  
tuit. Scripsit itaq; præclarū opus de ueneficis & sagis, in quo quantū in Theo-  
logia, Iurisprudentia, Medicina, & Philosophia progressus sit, abunde ostendi-  
tur, dum ex earum facultatum fontibus omnia argumēta deduxit, & ad suum  
institutum applicauit, ut uix credam, nostro hoc tempore doctiorem librum  
esse editum. Itaq; Iohannes suis laboribus magnum nomen sibi apud o-  
mnes bonos & doctos comparauit, & etiamnum circa Cliuenses  
uiuens, apud posteros in maiori æstimatione cognosce-  
tur. Anon.